

*in carne presentis ipsam per se illucescere veritatem: ita nos quoque respectu futuri seculi in quadam interim veritatis umbra vivere non negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus (1. Cor. XIII.) & illud: Non arbitror me comprehendisse (Phil. III.) Quomodo enim non est distinctio ejus, qui per fidem ambulat, & illius, qui per speciem? Ergo justus ex fide vivit, beatus exultat in specie, (visione.) Dignus autem est sermo integer, qui in hanc rem legatur. Quanquam & alias Bernhardus eandem sententiam tradit, Serm. LVI. in Cantic. pag. 732. Tract. de præcepto & dispensatione Cap. XXVII. p. 941. & Serm. in Cœnam Domini p. 1680. sub finem; ut merito miremur, Georgium Keithum ad Bernhardi consensum tam confidenter provocasse. Ac possemus illum suis fere verbis affari pag. 8. Amicæ Resp. lin. 14. Pudeat virum sobrium, talem alteri imputare sententiam; qualem non solum non amplectitur, sed oppositam tam aperte profitetur & propugnat.*

LII. Quid ergo de cæteris dicamus, quos itidem nudis nominibus, sine ullo seu ex ipsorum scriptis, seu aliorum fide dignorum auctorum testimonio citavit? quique si maxime profiterentur, quod vult Keithus, non magnam tamen auctoritatem haberent. Venit hac occasione in mentem, quod scribit. R. Barclajus Apol. ad Theol. XI. p. 225. §. V. *Quis denegabit & Bernbardum, & Bonaventuram & Thauleram & Thomam a Kempis, cæterosque complures de divino amore gustasse? & divini Spiritus virtutem, in se ipsis ad salutem suam operantem sensisse? Debemus ne igitur istas superstitiones non abnegare, repudiare, & derelinquere, quibus ii utebantur? Nempe facile accidit, ut, quem admodum Petrus, spiritualium deliciarum sensum nactus, ac res terrenas oblitus, domicilium ibi figere concupivit, ubi animo tam bene erat, quasi jam beatus esset; nesciens quid loqueretur: (Marc. IX. v. 6.) Sic & alii, qualemcunque beatitudinis prægustum consecuti, beatitudinem ipsam se assecutos putent, quamvis illa magno adhuc absint intervallo.*

LIII.